

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

---

**SCHEMA CANONUM LIBRI I  
DE NORMIS GENERALIBUS**

*(Reservatum)*



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS  
MCMLXXVII

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

---

**SCHEMA CANONUM LIBRI I  
DE NORMIS GENERALIBUS**

*(Reservatum)*



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS  
MCMLXXVII

*Tempus utile ad responsiones huic Pontificiae Commissioni mittendas  
usque ad finem mensis octobris 1978 datur*

TIPOGRAFIA POLIGLOTTA VATICANA

INDEX GENERALIS PROVISORIUS  
NOVI CODICIS IURIS CANONICI

LIBER PRIMUS	Normae generales
LIBER SECUNDUS	De Populo Dei
<i>Pars Prima</i>	De personis in genere
<i>Pars Secunda</i>	De personis in specie
Sectio I	De ministris sacris seu de clericis
Sectio II	De Ecclesiae constitutione hierarchica
Sectio III	De Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum ( <i>consultationi iam subiecta</i> )
Sectio IV	De christifidelibus laicis
LIBER TERTIUS	De Ecclesiae munere docendi
LIBER QUARTUS	De Ecclesiae munere sanctificandi
<i>Pars Prima</i>	De Sacramentis et sacramentalibus ( <i>consultationi iam subiecta</i> )
<i>Pars Secunda</i>	De locis et temporibus sacris deque cultu divino
LIBER QUINTUS	De iure patrimoniali Ecclesiae
LIBER SEXTUS	De sanctionibus in Ecclesia ( <i>consultationi iam subiectus</i> )
LIBER SEPTIMUS	De tutela iurium seu de processibus ( <i>consultationi iam subiectus</i> )

#### NOTA

Haec ordinatio systematica novi Codicis Iuris Canonici parata est iuxta ea quae deliberata sunt et approbata in Congregatione Plenaria Patrum Commissionis, die 28 Maii 1968 habita.

Agitur tamen de ordinatione systematica provisoriam, quae adhuc perfici forsitan poterit post consultationem circa omnia schemata novae Codificationis. Mens Legislatoris est, et quidem Patrum Commissionis, ut inter tanta diversaque criteria quae adoptari possunt, ordo systematicus seligatur ordinatione vigentis Codicis fundamentaliter innixus. Hoc quidem conveniens visum est propter rationes technicas, practicas et didacticas ab experientia satis probatas.

Praedictum tamen systema, planum quidem ac simplex, quod originem suam ultimam trahit ex illo pervetere principio « omne ius quo utimur vel ad personas pertinet vel ad res vel ad actiones », aptatum atque perfectum est in quantum fieri potest iuxta expositionem theologicam de tribus muneribus Ecclesiae, quae in documentis Concilii Vaticani II invenitur, praesertim in Const. dogm. *Lumen gentium*. De munere tamen regendi necessarium visum est ut tractetur, iuxta diversitatem materiae, sive in Libro II (ubi normae simul traduntur de personis atque de organis et officiis quibus potestas regiminis exercetur) sive etiam in Libris V, VI et VII. Ideoque non adest liber specificus qui inscribitur « De Munere regendi », quia hoc plures secumferret repetitiones.

## PRAENOTANDA

Imprimis, ante diversos Codicis recogniti Libros, ad modum introductionis, traduntur *Canones praeliminares*, quibus determinantur in genere materia huius Codicis necnon eiusdem vis, quibusque definitur eiusdem habitudo relate ad ius anterius, tum consuetudinarium tum scriptum.

Canones 1 ad 4 eadem substantialiter continent praescripta ac canones Codicis Iuris Canonici a. 1917, quae vero breviori forma enuntiantur. Etiam canon 5, § 1 idem quoad substantiam continet praescriptum ac can. 5 CIC; in § 2 autem eiusdem canonis definitur Codicis novi relatio ad consuetudines praeter ius. In can. 6, praescripta can. 6 CIC a. 1917 debite aptantur. Tandem in can. 7 item definitur quid intelligendum sit nomine *Sanctae Sedis* et *Apostolicae Sedis*; attamen postea aestimari potest hunc canonem inserendum esse in loco in quo de suprema Ecclesiae auctoritate agitur (*De populo Dei*, Sectio II, Titulus I).

## NORMAE GENERALES

Numerosiores in hoc Libro habentur Tituli quam in priore Codice, quia consultoribus visum est praescripta de certis materiis, antea in Libro II tradita, esse omnino generalia et ad omnes partes Codicis se referre. Ita sunt Tituli de actibus iuridicis et de officiis ecclesiasticis. Praeterea additi sunt quidam Tituli, quibus traduntur normae v.g. de statutis et ordinibus necnon generalia quaedam praescripta de praescriptione, quae quidem non tantum ad bonorum acquisitionem sese referunt. Tandem et quidem praesertim notari debet duos Titulos additos esse de Actibus administrativis, de quibus scilicet normae requiruntur certae in Ecclesia: ideoque Titulus II agit de decretis atque praeceptis generalibus et de instructionibus, atque Titulus III tractat de actibus administrativis singularibus.

Re quidem vera necesse omnino est ut in novo Codice de actibus administrativis normae tradantur, utque apte distinguantur una ex parte actus qui indolem habent legislativam, qui scilicet proprie ad iuris fontes pertinent et alia ex parte actus qui ad administrationem spectant et sunt indolis executivae seu administrativae. Ita ceterum ad effectum deducitur regula quae enuntiatur inter *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant* in Synodo Episcoporum a. 1967 probata (cfr. *Communicationes*, 1, 1969, 83), quae quidem regula ita sonat: « potestatis ecclesiasticae clare distinguantur diversae functiones, videlicet legislativa, administrativa et iudicialis, atque apte definiatur a quibusdam organis singularae functiones exercentur ». Itaque post titulum I, de fontibus iuris, in titulis II et III, de actibus administrativis normae traduntur.

TITULUS I  
DE FONTIBUS IURIS

Sub hoc Titulo, non secus ac in priore Codice, traduntur praescripta I. *De Legibus*; II. *De Consuetudine*.

*De Legibus* quae habentur normae quoad substantiam eadem sunt ac in priore Codice. Notetur tamen quaestionem utrum leges sint territoriales an personales, secundum doctrinam a multis admissam et historia comprobata, poni tantummodo de legibus particularibus, non autem de legibus universalibus. Notetur etiam constantem adhibitam esse terminologiam: legibus particularibus opponuntur semper leges universales, dum legibus specialibus seu peculiaribus opponuntur leges generales.

*De Consuetudine* etiam servantur eadem quoad substantiam normae, sed clariore modo et ordine magis logico sunt traditae.

TITULUS II  
DE DECRETIS ATQUE PRAECEPTIS GENERALIBUS  
ET DE INSTRUCTIONIBUS

De generalibus sub hoc titulo decretis atque praeceptis agitur sicut et de instructionibus, scilicet de actibus administrativis quae indolem generalem habent. Omnino necesse est ut decreta et praecepta generalia definiantur utque definiatur etiam quid nomine instructionis intelligendum sit. Definitiones ideoque traduntur et insuper eorundem decretorum et praeceptorum necnon instructionum vis iuridica determinetur oportet. Claritas et securitas iuridica id certo certius requirunt. Certa et constans requiritur terminologia, ut cum certitudine constet quandonam habeatur lex vera, quandonam autem actus executivus.

TITULUS III  
DE ACTIBUS ADMINISTRATIVIS SINGULARIBUS

Actus administrativi singulares distinguuntur una ex parte *decretum aut praeceptum* (species decreti) singularia et altera ex parte *rescriptum*. Utrumque est actus potestatis executivae et ideo elici potest ab eo qui potestate executiva gaudet, intra fines suae competentiae.

*Decretum* et *praeceptum* singularia sunt actus administrativi, quibus decisio fertur aut fit provisio canonica, sed quae natura sua petitionem ab aliquo factam non supponunt.

*Rescriptum* autem est actus administrativus (ergo datus ab eo qui potestate executiva gaudet), qui vero de se datur ad petitionem alicuius personae.

Necessaria est haec distinctio, quae quidem effectus etiam habet iuridicos. Titulus hic dividitur in quinque capita. *Caput I* praescripta tradit communia omnibus actibus administrativis singularibus. *Caput II* agit de decretis et praescriptis singularibus. *Caput III* praescripta tradit de rescriptis, quae quidem praescripta et ipsa quoad substantiam non differunt a praescriptis prioris Codicis, sed breviori forma et modo distinctiore enuntiantur. Deinde *Caput IV* normas praebet de privilegiis et *Caput V* normas praestat de dispensationibus, quae quidem et ipsae plerumque retinent priorem disciplinam.

Notetur tamen in schemate agi tantummodo de privilegiis quae acquiruntur per directam concessionem competentis auctoritatis, scilicet per actum administrativum, quod in casu est rescriptum. Sic dicta privilegia per legem concessa vel per consuetudinem introducta formaliter et iuridice simpliciter sunt leges et consuetudines, et uti talia haberi debent. Sunt nempe leges speciales et consuetudines speciales et reguntur praescriptis de legibus et de consuetudine. Item privilegia quae dicuntur acquisita per praescriptionem, sunt iura subiectiva acquisita et dicenda sunt regi praescriptis quae iura subiectiva per praescriptionem acquisita respiciunt (cfr. *Communicationes*, 3, 1971, 88-89).

Notetur etiam de dispensationibus enuntiari regulam fundamentalem, vi cuius scilicet dispensationi obnoxia non sunt leges quatenus definiunt ea quae institutorum aut actuum iuridicorum essentialiter sunt constitutiva (cfr. de hoc can. 1680, § 1 CIC; cfr. *Communicationes*, 3, 1971, 89-90).

#### TITULUS IV DE STATUTIS ET ORDINIBUS

Novus hic titulus in Normis generalibus necessarius visus est, ut determinetur quid his verbis intelligi debet et quaenam sit statutorum et ordinum vis iuridica. Statuta proprie sunt ordinationes quae respiciunt christifidelium consociationes, sive publicas sive privatas. Ordines vero sunt regulae servandae in personarum conventibus: ita v.g. Ordo Concilii.

#### TITULUS V DE POTESTATIS REGIMINIS EXERCITIO

Titulus hic locum tenet tituli Codicis prioris *De potestate ordinaria et delegata* (cann. 196-210), et in Libro de Normis generalibus inseritur, ob generalem eiusdem applicationem in universo Ecclesiae iure.

Inscriptio huius tituli nunc est *De potestatis regiminis exercitio*. Adhibetur locutio *potestas regiminis*, non vero « potestas iurisdictionis », licet in can. 97 schematis affirmetur: « Potestas regiminis, quae etiam potestas iurisdictionis vocatur ... ». Rectius quidem vocatur *potestas regiminis*, quia haec locutio magis



congruit historiae, et quia magis convenit cum assertis in Constitutione dogmatica *Lumen gentium* et in decretis Concilii Vaticani II, in quibus distinguuntur munus docendi, munus sanctificandi et munus *regendi*. Iurisdictio olim, et hodie communiter in legislationibus civilibus, reservatur activitati potestatis iudicialis.

Titulus, uti nunc proponitur, latior est quam titulus prioris Codicis. In priore Codice canones tituli *De potestate ordinaria et delegata* normas praebebant praesertim de potestate executiva, sed de potestate legislativa et iudiciali ex professo non agebant nec de earum delegabilitate praescripta praebebant. Aptius visum est ut de singulis functionibus potestatis regiminis normae certae traderentur, et ideo latior inscriptio huius tituli admissa est.

Notetur quoque in schemate non contradistingui potestatem regiminis fori externi et potestatem fori interni seu conscientiae (uti fit in CIC, can. 196). Re quidem vera, potestas fori externi et potestas fori interni, secundum hodiernam doctrinam et de unanimitate omnium consultorum sententia, est eadem potestas regiminis, cuius vero exercitii effectus possunt esse diversi. De se seu communiter exercitium huius potestatis effectus producit pro foro interno (relate ad ipsam personam in causa) et pro foro externo (erga omnes alios). Potest autem fieri ut pro solo foro interno, i.e. relate ad personas in causa tantum, effectus producat, scilicet potest fieri ut effectus exercitii limitentur ad ipsas personas in causa et ut illi effectus non extendantur ad alias personas aut ab aliis personis non cognoscantur. Hoc in casu exercetur haec potestas pro solo foro interno. Ceterum non potest haec potestas quae pro solo foro interno exercetur dici fori conscientiae. Itaque, potestas regiminis qua conceditur sic dicta iurisdictio ad confessiones, nunc dicitur et rectius appellatur facultas ad confessiones audiendas (cfr. Schema de Sacramentis, can. 136).

Notetur tandem regulas circa delegationem potestatis non esse easdem pro potestate legislativa et pro potestate executiva.

Nova igitur in hoc titulo habetur ordinatio materiae, quae certo maiorem claritatem et securitatem iuridicam praebet.

## TITULUS VI DE ACTIBUS IURIDICIS

Etiam quae actus iuridicos respiciunt normae aptius in Libro de Normis generalibus inseruntur.

Incipit titulus cum aliquo generali canone, in quo generali formula asseritur quaenam ad validitatem actus iuridici alicuius requiruntur, atque in quo (in § 2) praesumptio statuitur de validitate actus iuridici, rite positi, et vis huius praesumptionis definitur.

Sequuntur deinde praescripta quae habentur in priore Codice, cann. 103 ad 106, sed clariore modo proposita.

TITULUS VII  
DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

Etiam in hoc Libro normae traduntur de his officiis ecclesiasticis, quae quidem normae rectius hic ponuntur, quam in Libro *De personis* uti fit in priore Codice.

Ante omnia generales quaedam normae praebentur, in quibus praesertim de nova definitione officii ecclesiastici agitur, uti in Concilio Vaticano II (Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 20) traditur.

Duo habentur sub hoc titulo Capita, quae agunt de provisione officii ecclesiastici et de amissione huius officii.

Ad *provisionem* officii ecclesiastici quod attinet, imprimis generales traduntur normae de eiusdem necessitate et de variis modis quibus fieri potest, de qualitatibus requisitis ut quis tale officium obtinere possit, de provisione officii ecclesiastici non ultra sex menses differenda, etc.

Magis in specie deinde habentur normae de diversis modis, quibus provisio fieri potest, scilicet de libera collatione, de praesentatione et institutione, de electione atque huius confirmatione, et de postulatione. De singulis hisce modis provisionis, normae statuuntur quae, plerumque quoad substantiam cum normis disciplinae vigentis conveniunt, sed aptatae sunt novis quae de iis habentur praescriptionibus. Clare vero distinguuntur diversi modi faciendi provisionem, et ideo in quattuor articulis traduntur, ita ut diversitas normarum distincte eluceat.

Ad *amissionem* officii ecclesiastici quod spectat, similiter clare distinguuntur modi quo tale officium amitti potest. Qui modi hodie sunt lapsus temporis pro quo officium concessum fuit, expleta aetas qua quis ad normam iuris fit emeritus, renuntiatio officii, translatio ab uno officio ad aliud, amotio ab officio, necnon privatio ab officio in poenam delicti. De singulis his modis traduntur normae quae materiam regunt.

Notetur non amplius fieri distinctionem inter officium inamovibile et officium amovibile parochorum (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 31).

TITULUS VIII  
DE PRAESCRIPTIONE

In Codice Iuris Canonici, normae quae praescriptionem regunt traduntur ubi de bonis Ecclesiae temporalibus agitur (cann. 1508-1512).

Potentibus vero non paucis consultoribus, nunc generales de praescriptione normae sub hoc titulo traduntur, quia praescriptio non tantum pro acquisitione bonorum aut eorundem amissione effectum habere potest, sed quandoque pro

certis iuribus acquirendis vel amittendis sicut et ab aliis obligationibus se liberandi momentum habere valet.

Quare tres generales canones hic ponuntur, in quibus ratio etiam habetur praescriptorum quae in Codice traduntur in cann. 1508, 1509 et 1512.

TITULUS IX  
DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

Tandem, uti ultimus titulus huius Libri I, inscribitur titulus de temporis supputatione, in quo servantur, sed ad breviorum formam rediguntur praescripta quae hac de materia in priore Codice habentur (cann. 31-35).

## CANONES PRAELIMINARES

### *Can. 1*

Leges canonicae quae hoc Codice continentur unam Ecclesiam latinam obligant.

### *Can. 2*

Codex plerumque non definit ritus et caeremonias quae in actionibus liturgicis peragendis sunt servandae; quare omnes normae liturgicae hucusque in Ecclesia latina vigentes vim suam servant, nisi quatenus earum aliqua Codicis canonibus sit contraria.

### *Can. 3*

Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum Nationibus aliisve societatibus politicis conventiones non abrogant nec iis derogant; eadem perinde ac in praesens vigere pergent, contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus.

### *Can. 4*

Iura quaesita, itemque privilegia quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive iuridicis concessa, in usu sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur.

### *Can. 5*

§ 1. Vigentes in praesens contra horum praescripta canonum consuetudines sive universales sive particulares, quae ipsis canonibus huius Codicis reprobantur, tanquam iuris corruptelae prorsus suppressae habeantur, nec in posterum reviviscere sinantur; ceterae quoque suppressae sunt, nisi expresse Codice aliud caveatur aut centenariae sint vel immemorabiles, quae quidem, si de iudicio Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis submoveri nequeunt, tolerari possunt.

§ 2. Consuetudines praeter ius hucusque vigentes, sive universales sive particulares servantur.

*Can. 6*

§ 1. Salvis praescriptis canonum Legis Ecclesiae Fundamentalibus, hoc Codice vim obtinente, abrogata sunt:

1° omnes leges quae in Codice Iuris Canonici anno 1917 promulgato continentur;

2° aliae quoque normae, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis contrariae, nisi de particularibus aliud expresse caveatur;

3° leges poenales quaelibet, sive universales sive particulares a Sede Apostolica latae, nisi in ipso hoc Codice recipiantur;

4° ceterae quoque normae disciplinares quae materias respiciunt quae hoc Codice ordinantur.

§ 2. Canones tamen huius Codicis, quatenus ius vetus referunt, aestimandi sunt ratione etiam canonicae traditionis habita.

*Can. 7*

Nomine *Sedis Apostolicae* vel *Sanctae Sedis* in hoc Codice intelliguntur non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura aut sermonis contextu aliud appareat, Dicasteria aliaque Instituta per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet.

TITULUS I  
DE FONTIBUS IURIS

CAPUT I  
DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS

*Can. 8 (CIC 8)*

Leges instituuntur, cum promulgantur.

*Can. 9 (CIC 9)*

§ 1. Leges ecclesiasticae universales promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior aut longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta.

§ 2. Textus legum, quantum fieri potest, ante earum promulgationem transmittetur omnibus Episcoporum Conferentiis et, si specialiter Instituta vitae consecratae respiciant, etiam supremis eorum Moderatoribus, ita ut eodem ex tempore quo in Urbe etiam in variis territoriis leges, quando promulgatae sunt, divulgari valeant.

§ 3 (nova). Leges ab inferioribus legislatoribus latae promulgantur modo ab ipsis his legislatoribus determinato et obligare incipiunt a die ab iisdem statuto.

*Can. 10 (CIC 10)*

Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.

*Can. 11 (CIC 11)*

Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse caveatur.

*Can. 12 (CIC 12)*

§ 1. Legibus mere ecclesiasticis tenentur soli baptizati pro quibus latae sunt, quique sufficienti rationis usu gaudent, et, nisi aliud iure expresse caveatur, qui septimum aetatis annum expleverunt.

§ 2. Baptizati qui Ecclesiis aut communitatibus ab Ecclesia catholica seiunctis adscripti sunt, ordinationibus mere ecclesiasticis directe obligari non intelliguntur, nisi exceptio statuatur.

*Can. 13 (CIC 13)*

§ 1. Legibus universalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt.

§ 2. A legibus autem universalibus, quae in certo territorio non vigent, eximuntur omnes qui in hoc territorio actu versantur.

§ 3. Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur, firmiter praescripto can. 14.

*Can. 14 (CIC 14)*

§ 1. Leges particulares non praesumuntur personales, sed territoriales, nisi aliud constet.

§ 2. Peregrini:

1° non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quamdiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales;

2° neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, aut actuum sollemnia determinant, aut res immobiles in territorio sitas respiciunt.

§ 3. Vagi obligantur legibus tam universalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur.

*Can. 15 (CIC 15)*

Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti in eis dispensare possunt Ordinarii, nisi agatur de dispensatione quam suprema Ecclesiae auctoritas sibi aut alii auctoritati reservaverit.

*Can. 16 (CIC 16)*

§ 1. Ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium, sicut et aliae causae quae imputabilitatem minuunt vel tollunt, licet a culpa excusare possint, earundem tamen effectum minime impediunt, nisi aliud expresse statuatur.

§ 2. Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium generatim non praesumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur.

*Can. 17 (CIC 17)*

§ 1. Leges authentice interpretatur legislator et is cui potestas authentice interpretandi fuerit ab eodem commissa.

§ 2. Interpretatio authentica per modum legis exhibita eandem vim habet ac lex ipsa; et si verba legis in se certa declaret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet, non retrotrahitur et promulgari debet.

§ 3. Data autem per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus lata est.

*Can. 18 (CIC 18)*

Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserit, ad locos parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum.



*Can. 19* (CIC 19)

Leges quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi.

*Can. 20* (CIC 20)

Si certa de re desit expressum legis sive universalis sive particularis praescriptum, causa, nisi sit poenalis, dirimenda est secundum consuetudinem canonice inductam; quae si deficiat, norma causae applicanda sumatur attentis legibus latis in similibus, generalibus iuris canonici principiis cum aequitate servatis, iurisprudencia ecclesiastica, praesertim stylo et praxi Curiae Romanae, communi constantique doctorum sententia.

*Can. 21* (CIC 21)

Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiam si in casu peculiari periculum non adsit.

*Can. 22* (CIC 22)

Lex posterior a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut si illi sit directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed, firmo praescripto can. 6, § 1, n. 2°, lex universalis minime derogat locorum iuri particulari nec personarum specialibus statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur.

*Can. 23* (CIC 23)

In dubio revocatio legis praesistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae.

## CAPUT II DE CONSUETUDINE

*Can. 24* (CIC 25)

In Ecclesia ea tantum consuetudo a communitate christiana introducta vim legis habet, quae a legislatore approbata fuerit, ad normam canonum qui sequuntur.

*Can. 25* (CIC 27)

§ 1. Nulla consuetudo vim legis obtinere potest quae sit iuri divino sive naturali sive positivo contraria.

§ 2. Nec vim legis obtinere potest consuetudo contra aut praeter ius canonicum, nisi quae sit rationabilis; consuetudo autem quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis.

*Can. 26* (CIC 26)

Nulla consuetudo vim legis obtinet, nisi quae cum animo iuris inducendi a communitate legis saltem recipiendae capace servata fuerit.

*Can. 27* (CIC 27 et 28)

Nisi a competenti legislatore, consensu saltem tacite manifestato, specialiter fuerit probata, consuetudo viginti iuri canonico contraria aut quae est praeter legem canonicam, vim legis obtinet tantum, si legitime per annos viginti continuos et completos servata fuerit; contra legem vero canonicam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praevalere potest consuetudo centenaria aut immemorabilis.

*Can. 28* (CIC 29)

Consuetudo est optima legum interpretis.

*Can. 29* (CIC 30)

Firmo praescripto can. 5, consuetudo, sive contra sive praeter legem, per contrariam consuetudinem aut legem revocatur; sed, nisi expressam de iis mentionem faciat, lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex universalis consuetudines particulares.

TITULUS II  
DE DECRETIS ATQUE PRAECEPTIS GENERALIBUS  
ET DE INSTRUCTIONIBUS

*Can. 30* (novus)

Decreta generalia, quibus a legislatore competenti, pro communitate legis recipiendae capace, communia feruntur praescripta, proprie sunt leges et reguntur praescriptis canonum de legibus.

*Can. 31* (novus)

Decreta generalia, quibus praescripta statuuntur communia praeter aut contra leges vigentes consuetudinesve probatas ferre non valent ii qui potestate executiva tantum gaudent, nisi in casibus particularibus talis potestas ad normam iuris ipsis a legislatore competenti expresse fuerit concessa; quae vi talis concessae potestatis servatisque conditionibus in actu concessionis statutis eduntur decreta generalia, vim legis habent et reguntur praescriptis canonum de legibus.

*Can. 32* (novus)

§ 1. Decreta generalia executoria, quibus nempe pressius determinantur modi in lege applicanda servandi, itemque praecepta communia, quibus legis aut decreti generalis observantia urgetur, ferre valent, intra fines suae competentiae, qui potestate gaudent executiva.

§ 2. Ad decretorum praeceptorumque generalium de quibus in § 1 promulgationem et vacationem quod attinet, servantur praescripta can. 9.

*Can. 33* (novus)

Decreta generalia executoria et praecepta communia eos obligant qui tenentur legibus quarum modos applicationis determinant aut observantiam urgent.

*Can. 34* (novus)

§ 1. Decreta generalia exsecutoria itemque praecepta communia non derogant legibus, atque quae eorum praescripta legibus sint contraria omni vi carent.

§ 2. Eadem vim habere desinunt revocatione explicita aut implicita ab auctoritate competenti necnon cessante lege ad cuius executionem data sunt; non autem cessant resoluta iure statuentis, nisi contrarium expresse caveatur.

*Can. 35* (novus)

§ 1. Instructiones, quae nempe legum praescripta declarant atque rationes in iisdem exsequendis servandas evolvunt et determinant, ad usum eorum dantur quorum est curare ut leges executioni mandentur eosque in legum executione obligant; eas legitime edunt, intra fines suae competentiae, qui potestate exsecutiva gaudent.

§ 2. Instructionum ordinationes legibus non derogant, et si quae earum cum legum praescriptis componi nequeant, omni vi carent.

§ 3. Vim habere desinunt instructiones non tantum revocatione explicita aut implicita ab auctoritate competenti, quae eas edidit eiusve superiore, sed etiam cessante lege ad quam declarandam executionive mandandam datae sunt.

TITULUS III  
DE ACTIBUS ADMINISTRATIVIS SINGULARIBUS

CAPUT I  
NORMAE COMMUNES

*Can. 36* (novus)

Actus administrativus singularis, sive sit decretum aut praeceptum sive sit rescriptum, elici potest, intra fines suae competentiae, ab eo qui potestate executiva gaudet.

*Can. 37* (novus; cfr. CIC 49)

Actus administrativus quicumque intelligendus est secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debet ad alios casus praeter expressos extendi.

*Can. 38* (novus; cfr. CIC 53)

Exsecutor alicuius actus administrativi invalide suo munere fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earundem notitia ad eum fuerit auctoritate eundem actum edentis transmissa.

*Can. 39* (novus; cfr. CIC 54)

Exsecutor actus administrativi cui committitur merum executionis ministerium, executionem huius actus denegare non potest, nisi manifesto appareat eundem actum esse nullum aut sustineri non posse; si tamen actus administrativi executio adiunctorum personae aut loci ratione videatur inopportuna, exsecutor executionem intermittat; iis vero in casibus statim certiores faciat auctoritatem quae actum edidit.

*Can. 40* (novus; cfr. CIC 55)

Exsecutor actus administrativi procedere debet ad mandati normam, et nisi conditiones essentielles in litteris appositae impleverit ac substantialem procedendi formam servaverit, irrita est exsecutio.

*Can. 41* (novus; cfr. CIC 56)

Exsecutio cuiuscumque actus administrativi qui forum externum respicit, scripto est consignanda.

*Can. 42* (novus; cfr. CIC 57)

Actus administrativi exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut electa industria personae, aut substituti persona praefinita; quibus tamen in casibus exsecutori licet alteri committere actus praeparatorios.

*Can. 43* (novus; cfr. CIC 58)

Actus administrativus executioni mandari potest etiam ab exsecutoris successore in officio vel dignitate, nisi fuerit electa industria personae.

*Can. 44* (novus; cfr. CIC 59, § 1)

Exsecutori fas est, si quoquo modo in actus administrativi executione erraverit, eundem iterum executioni mandare.

*Can. 45* (novus; cfr. CIC 60, § 1)

Revocatio actus administrativi per alium actum administrativum auctoritatis competentis effectum tantummodo obtinet a momento quo legitime significetur personae pro qua datus est.

CAPUT II  
DE DECRETIS ET PRAECEPTIS SINGULARIBUS

*Can. 46* (novus)

Decretum singulare intelligitur actus administrativus a competenti auctoritate executiva editus quo secundum iuris normas pro casu particulari datur decisio aut canonica fit provisio, quae natura sua petitionem ab aliquo factam non supponunt.

*Can. 47* (novus)

Praeceptum singulare intelligitur decretum quo directe alicuius normae canonicae aut decreti observantia urgetur contra invitos.

*Can. 48* (novus)

Antequam decretum praeceptumve singulare ferat, auctoritas curare debet ut de adiunctis omnibus notitiam comparet et de necessitate et opportunitate decreti praeceptive probationem habeat, atque, quatenus possibile sit, eos audiat quorum iura laedi possint.

*Can. 49* (novus)

Decretum praeceptumve singulare effectu caret, quatenus contrarium est legi consuetudinive probatae, aut iuri alteri quaesito, nisi legitime expressa clausula derogatoria apponatur.

*Can. 50* (novus)

Decretum praeceptumve singularia vim habent tantum quoad res de quibus decernunt et pro personis quibus data sunt; eas vero ubique obligant, nisi aliud constet.

*Can. 51* (novus; cfr. CIC 49)

Si decreta inter se sint contraria, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generale; si aequae sint peculiaris aut generalis, posterius tempore obrogat priori, quatenus ei contrarium est.

*Can. 52* (novus; cfr. CIC 49-50)

Decretum praeceptumve singularia interpretanda sunt ad normam can. 37; in dubio, ea quae ad lites referuntur, aut ad poenas comminandas infligendasve attinent, aut personae iura coarctant, aut iura aliis quaesita laedunt, strictam recipiunt interpretationem; cetera omnia latam.

*Can. 53* (novus; cfr. CIC 24)

§ 1. Decretum praeceptumve singulare, cuius applicatio committitur executori, effectum habet a momento executionis; secus a momento quo personae auctoritate ipsius decernentis vel praecipientis intimatur.

§ 2. Decretum praeceptumve singulare ut urgeri valeat, requiritur legitimo documento ad normam iuris intimatum fuerit.

*Can. 54* (novus; cfr. CIC 24)

§ 1. Decretum singulare non cessat resolutio iure statuentis, nisi expresse contrarium caveatur.

§ 2. Praeceptum singulare cessat resolutio iure praecipientis, nisi legitimo documento impositum fuerit.

*Can. 55* (novus)

Decretum praeceptumve singulare vim habere desinit legitima revocatione ab auctoritate competenti necnon cessante lege ad cuius executionem datum est.

### CAPUT III DE RESCRIPTIS

*Can. 56* (novus)

§ 1. Rescriptum intelligitur actus administrativus a competenti auctoritate executiva in scriptis elicitus quo, de se ad petitionem alicuius, conceditur privilegium, dispensatio aliave gratia.

§ 2. Quae de rescriptis statuuntur praescripta, etiam de licentiae concessione valent, nisi aliud constet.



*Can. 57* (CIC 36, § 1)

Rescriptum quodlibet impetrari potest ab omnibus qui expresse non prohibentur.

*Can. 58* (CIC 37)

Rescriptum ad iudicii ordinationem non pertinens impetrari potest pro alio, etiam praeter eius assensum, et valet ante eiusdem acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat.

*Can. 59* (CIC 38)

Rescriptum in quo nullus datur exsecutor, effectum habet a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore executionis.

*Can. 60* (CIC 39)

Conditiones in rescriptis tunc tantum ad validitatem concessionis censentur adiectae, cum per particulas *si, dummodo*, vel aliam eiusdem significationis exprimuntur.

*Can. 61* (CIC 40-42 et 45)

§ 1. Validitati rescripti obstat subreptio seu reticentia veri, si in precibus expressa non fuerint quae secundum iurisprudentiam canonicam ad validitatem sunt exprimenda, nisi agatur de rescripto gratiae quod *Motu proprio* datum sit.

§ 2. Item validitati rescripti obstat obreptio seu expositio falsi, si ne una quidem causa motiva proposita sit vera.

§ 3. Causa motiva, in rescriptis quorum nullus est exsecutor, vera sit oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore executionis.

*Can. 62* (CIC 43)

Gratia a quovis Dicasterio Romanae Curiae denegata, invalide ab alio eiusdem Curiae Dicasterio aliave competenti auctoritate infra Romanum Pontificem conceditur, sine assensu Dicasterii quocum agi coeptum est.

---

*Can. 63 (CIC 44)*

§ 1. Salvis praescriptis §§ 2 et 3, nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nisi facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.

§ 2. Gratia a Vicario generali vel a Vicario episcopali denegata, ab alio Vicario eiusdem Episcopi, etiam habitis a Vicario abnegante denegationis rationibus, valide concedi nequit.

§ 3. Gratia a Vicario generali vel a Vicario episcopali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo dioecesano impetrata, invalida est; gratia autem ab Episcopo dioecesano denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, ab eius Vicario generali vel Vicario episcopali, non consentiente Episcopo, impetrari.

*Can. 64 (CIC 46)*

Rescriptum, etiam *Motu proprio* concessum, conferens gratiam personae de iure inhabili ad eandem consequendam, itemque editum contra alicuius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, vel contra ius alteri quaesitum, effectum non habet, nisi expressa derogatoria clausula legitime apponatur.

*Can. 65 (CIC 47)*

Rescriptum non fit irritum ob errorem in nomine personae cui datur vel a qua editur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio.

*Can. 66 (CIC 48)*

§ 1. Si contingat ut de una eademque re duo rescripta inter se contraria impetrentur, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevallet generali.

§ 2. Si sint aequae peculiariter aut generalia, prius tempore praevallet posteriori, nisi in altero fiat mentio expressa de priore, aut nisi impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.

§ 3. In dubio num rescriptum irritum sit necne recurratur ad rescribentes.

*Can. 67 (CIC 49)*

Rescripta intelligenda sunt ad normam can. 37; in dubio, rescripta quae ad lites referuntur, aut iura aliis quaesita laedunt, aut adversantur legi in commodum privatorum, strictam recipiunt interpretationem; cetera omnia latam.

*Can. 68 (CIC 51)*

Rescriptum in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet Ordinario impetrantis praesentari, cum id in iisdem litteris praecipiat, aut de rebus agatur publicis, aut comprobare condiciones oporteat.

*Can. 69 (CIC 52)*

Rescriptum, cuius praesentationi nullum est definitum tempus, potest exsecutori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus.

*Can. 70 (CIC 54)*

§ 1. Firmis praescriptis can. 39, exsecutor rescripti cui committitur merum executionis ministerium, executionem rescripti denegare debet quoque si in rescripto apponantur condiciones quas exsecutori constet non esse impletas.

§ 2. Quod si in rescripto ipsa concessio exsecutori committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare.

*Can. 71 (novus)*

Nemo uti tenetur rescripto in sui dumtaxat favorem concesso, nisi aliunde obligatione canonica ad hoc teneatur.

*Can. 72 (CIC 60, § 2 et 61)*

§ 1. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur aut lex lata sit ab auctoritate ipsi rescribenti superiore.

§ 2. Per cessationem rescribentis ab officio, rescriptum ab eodem concessum non perimitur, nisi aliud ex appositis clausulis appareat, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit.

---

*Can. 73 (novus)*

§ 1. Quae in canonibus de rescriptis statuuntur praescripta, de concessionibus gratiarum vivae vocis oraculo quoque valent, nisi aliud manifesto constet.

§ 2. Quamvis gratia oretenus sibi concessa quis in foro interno uti possit, tenetur illam pro foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur.

*Can. 74 (CIC 62)*

Si rescriptum contineat privilegium vel dispensationem, servantur insuper praescripta canonum qui sequuntur.

#### CAPUT IV DE PRIVILEGIIS

*Can. 75 (CIC 63)*

§ 1. Privilegium, seu gratia in favorem certarum personarum, sive physicarum sive iuridicarum per peculiarem actum administrativum facta, a sola competenti auctoritate potestate executiva gaudente concedi valet.

§ 2. Possessio centenaria vel immemorabilis praesumptionem inducit concessi privilegii.

*Can. 76 (CIC 66)*

§ 1. Facultas habitualis quae conceditur aut in perpetuum aut ad praefinitum tempus aut ad certum casuum numerum, accensetur privilegio praeter ius.

§ 2. Nisi in eius concessione aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, facultas habitualis Episcopo dioecesano aliive Ordinario concessa, non perimitur resolutio iure Ordinarii cui concessa est, etiamsi ipse eam exsequi coeperit, sed transit ad quemvis Ordinarium qui ipsi in regimine succedit.

§ 3. Item, nisi aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, facultas habitualis Episcopo dioecesano concessa competit quoque Vicario generali atque, intra fines suae competentiae, Vicario episcopali.

§ 4. Concessa facultas alias quoque potestates secumfert quae ad illius usum sunt necessariae; quare concessa facultas habitualis potestatem etiam includit removendi obstacula, si quae sint, gratiae executionem impediunt, ad effectum dumtaxat gratiae consequendae.

*Can. 77 (CIC 67-68)*

Privilegium interpretandum est ad normam cann. 37 et 67; sed ea semper adhibenda est interpretatio, ut privilegio aucti aliquam revera gratiam consequantur.

*Can. 78 (CIC 70, 74, 75)*

§ 1. Privilegium praesumitur perpetuum, nisi contrarium probetur.

§ 2. Privilegium personale, quod quidem personam sequitur, cum ipsa extinguitur.

§ 3. Privilegium reale cessat per absolutum rei vel loci interitum; privilegium vero locale, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscit.

*Can. 79 (CIC 70)*

Privilegium cessat per revocationem competentis auctoritatis ad normam cann. 45 et 72.

*Can. 80 (CIC 72)*

§ 1. Nullum privilegium per renuntiationem cessat nisi haec a competenti auctoritate fuerit acceptata.

§ 2. Privilegio in sui dumtaxat favorem concesso quaevis persona privata renuntiare potest.

§ 3. Privilegio concesso alicui personae iuridicae, aut ratione dignitatis loci vel rei, privatis personis renuntiare non licet.

§ 4. Nec ipsi personae iuridicae integrum est privilegio sibi concesso renuntiare, si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium.

*Can. 81 (CIC 73)*

Resoluto iure concedentis, privilegium non extinguitur, nisi datum fuerit cum clausula *ad beneplacitum nostrum* vel alia aequipollenti.

*Can. 82 (CIC 76)*

Per non usum vel per usum contrarium privilegium aliis haud onerosum non cessat; quod vero in aliorum gravamen cedit, amittitur, si accedat legitima praescriptio aut tacita renuntiatio.

*Can. 83 (CIC 77)*

§ 1. Cessat privilegium elapso tempore vel expleto numero casuum pro quibus concessum fuit, firmo praescripto can. 109, § 2.

§ 2. Cessat quoque, si temporis progressu rerum adiuncta ita, iudicio auctoritatis competentis, immutentur ut noxium evaserit aut eius usus illicitus fiat.

*Can. 84 (CIC 78)*

Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa, privilegio ipso privari meretur; quare, Ordinarius, frustra monito privilegiario, graviter abutentem privet privilegio quod ipse concessit; quod si privilegium concessum fuerit ab Apostolica Sede, eandem Ordinarius certiolem facere tenetur.

#### CAPUT V DE DISPENSATIONIBUS

*Can. 85 (CIC 80)*

Dispensatio seu legis mere ecclesiasticae in casu speciali relaxatio, concedi potest ab iis qui potestate gaudent executiva, intra limites suae competentiae, necnon ab illis quibus potestas dispensandi explicitae vel implicitae competit sive ipso iure sive vi legitima delegationis.

*Can. 86 (novus)*

Dispensationi obnoxiae non sunt leges quatenus definiunt ea quae institutorum aut actuum iuridicorum essentialiter sunt constitutiva.

*Can. 87 (CIC 81)*

§ 1. Episcopus dioecesanus in legibus, tam universalibus quam particularibus a suprema Ecclesiae auctoritate pro suo territorio latis, dispensare valet ad normam can. (*De populo Dei*, can. 246).

§ 2. Si difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, Ordinarius quicumque in casu particulari dispensare valet in legibus Ecclesiae universalibus et in particularibus a suprema auctoritate pro suo territorio latis, de quibus in can. (*De populo Dei*, can. 246), etiam si dispensatio reservatur Sanctae Sedi, dummodo tamen agatur de dispensatione quam ipsa in iisdem adiunctis concedit; firmo praescripto, vi cuius dispensatio a lege coelibatus uni Apostolicae Sedi reservatur.

*Can. 88 (CIC 82)*

In legibus dioecesanis atque, in casu tantum particulari in legibus latis a Concilio regionali vel provinciali aut ab Episcoporum Conferentia, dispensare valent Episcopus dioecesanus atque Vicarius generalis et, intra fines suae competentiae, Vicarius episcopalis, ad normam can. (*De populo Dei*, can. 292, § 3).

*Can. 89 (CIC 83)*

Parochus alique presbyteri aut diaconi a lege universali et particulari dispensare tantummodo valent, si haec potestas expresse ipsis concessa sit.

*Can. 90 (CIC 84)*

§ 1. A lege ecclesiastica ne dispensetur sine iusta et rationabili causa, habita ratione adiunctorum casus et gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio illicita et, nisi ab ipso legislatore eiusve superiore data sit, etiam invalida est.

§ 2. Dispensatio in dubio de sufficientia causae licite et valide conceditur.

---

*Can. 91 (novus)*

Qui gaudet potestate dispensandi eam exercere valet, etiam extra territorium existens, in subditos, licet e territorio absentes, atque, nisi contrarium expresse statuatur, in peregrinos quoque in territorio actu degentes, necnon erga seipsum.

*Can. 92 (CIC 85)*

Strictae subest interpretationi non solum dispensatio ad normam can. 67, sed ipsamet facultas dispensandi ad certum casum concessa.

*Can. 93 (CIC 86)*

Dispensatio quae tractum habet successivum cessat iisdem modis quibus privilegium, necnon certa ac totali cessatione causae motivae.



TITULUS IV  
DE STATUTIS ET ORDINIBUS

*Can. 94* (novus)

§ 1. Statuta, licet hoc nomine vocentur etiam leges a legislatore in Ecclesia non supremo editae, sensu proprio sunt quae in christifidelium consociationibus, sive publicis sive privatis, aut in rerum universitatibus, ad normam iuris conduntur ordinationes, quibus definiuntur consociationis universitatisve finis, constitutio et regimen, atque actionis rationes.

§ 2. Statutis consociationis obligantur solae personae quae legitime eiusdem sunt membra, et quidem vi ipsius initae conventionis, nisi quaedam consociatio ex concessione legislatoris aut consuetudine probata legifera potestate instructa sit; statutis rerum universitatis obligantur ii qui eiusdem moderamen curant aut cum eadem negotia pertractant.

§ 3. Quae statutorum praescripta a Moderatoribus potestate legifera legitime instructis conduntur et promulgantur, sunt leges et reguntur praescriptis canonum de legibus.

*Can. 95* (novus)

§ 1. Ordines sunt regulae seu normae servandae in personarum conventibus, sive conventus ab auctoritate ecclesiastica edicti sive a christifidelibus libere advocati sint, necnon aliis in celebrationibus, et quibus definiuntur quae ad constitutionem, moderamen et rerum agendarum rationes pertinent.

§ 2. In conventibus celebrationibusve ab auctoritate ecclesiastica edictis, regulis ordinis, vi decreti ab auctoritate competenti dati, tenentur qui ad conventus celebrationesve legitime convocati in iisdem partem habent; in conventibus libere a christifidelibus advocatis, regulis ordinis tenentur qui eosdem participant.

TITULUS V  
DE POTESTATIS REGIMINIS EXERCITIO

*Can. 96* (novus)

Potestatis regiminis in Ecclesia, ad normam praescriptorum iuris, habiles sunt, qui ordine sacro sunt insigniti; in exercitio eiusdem potestatis, quatenus quidem eodem ordine sacro non innitur, ii qui ordine sacro non sunt insigniti eam tantum partem habere possunt quam singulis pro causis auctoritas Ecclesiae suprema ipsis concedit.

*Can. 97* (CIC 196)

Potestas regiminis, etiam potestas iurisdictionis vocata, quae quidem ex divina institutione est in Ecclesia, de se exercetur pro foro externo, quandoque tamen pro solo foro interno, ita quidem ut effectus quos eius exercitium natum est habere pro foro externo, in hoc foro non recognoscantur, nisi quatenus id determinatis pro casibus iure statuatur.

*Can. 98* (CIC 197 et 200, § 2)

§ 1. Potestas regiminis ordinaria est quae ipso iure alicui officio adnectitur; delegata quae ipsi personae non mediante officio conceditur.

§ 2. Potestas regiminis ordinaria potest esse sive propria sive vicaria.

§ 3. Ei qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis.

*Can. 99* (CIC 203)

§ 1. Delegatus qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit.

§ 2. Fines sui mandati excedere non intelligitur delegatus qui alio modo ac in mandato determinatur ea ad quae delegatus est peragit, nisi modus ab ipso delegante ad validitatem fuerit praescriptus.

*Can. 100 (novus)*

§ 1. Potestas regiminis, ratione muneris fungendi ad quod ordinatur, distinguitur legislativa, executiva et iudicialis.

§ 2. Potestas regiminis executiva dicitur gratiosa, si exercetur in volentes; coercens, si exercetur in invitos.

*Can. 101 (CIC 198)*

§ 1. Nomine Ordinarii in iure intelliguntur, praeter Romanum Pontificem, omnes qui, etiam si ad interim tantum, praepositi sunt alicui Ecclesiae particulari communitative eidem aequiparatae ad normam can. (*De populo Dei*, can. 217); necnon qui in iisdem generali gaudent potestate executiva ordinaria, nempe Vicarii generales et episcopales; itemque, pro suis sodalibus, Moderatores maiores qui in aliquo clericali Instituto vitae consecratae iuris pontificii, ordinaria saltem potestate executiva pollent.

§ 2. Nomine Ordinarii loci intelliguntur omnes qui in § 1 recensentur, exceptis Moderatoribus Institutorum vitae consecratae.

*Can. 102 (novus)*

§ 1. Potestas legislativa exercenda est modo iure praescripto, et ea qua in Ecclesia gaudet legislator infra auctoritatem supremam, delegari nequit, nisi quatenus aliud iure explicite caveatur.

§ 2. Potestas iudicialis, qua vi ipsius iuris aut ex speciali Summi Pontificis commissione gaudent iudices aut collegia iudicialia, exercenda est modo iure praescripto, et delegari nequit, nisi ad actus cuius decreto aut sententiae praeparatorios perficiendos.

§ 3. Ad potestatis executivae exercitium quod attinet, servantur praescripta canonum qui sequuntur.

*Can. 103 (CIC 201)*

§ 1. Nisi aliud ex rei natura aut ex iuris praescripto constet, potestatem executivam gratiosam exercere quis potest in subditos, licet e territorio absentes, in peregrinos quoque in territorio actu degentes necnon erga seipsum; item eandem exercere valet extra propriam ditionem existens.

§ 2. Potestatem executivam coercentem exercere quis nequit extra propriam ditionem existens; eam exercere potest in subditos, eosque, si praecepta aut decreta statuuntur personalia, etiam extra territorium versantes; in peregrinos autem in territorio versantes, tantummodo ad executioni mandandas tum leges universales tum leges quibus ipsi ad normam can. 14, § 2, n. 2 tenentur particulares.

*Can. 104 (CIC 199)*

§ 1. Potestas executiva ordinaria delegari potest tum ad actum tum ad universitatem casuum, nisi quatenus aliud iure expresse caveatur.

§ 2. Potestas executiva ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest, sive ad actum sive ad universitatem casuum, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio fuerit expresse prohibita.

§ 3. Potestas executiva delegata ab alia auctoritate potestatem ordinariam habente, si ad universitatem casuum delegata sit, in singulis tantum casibus subdelegari potest; si vero ad actum aut ad actus determinatos delegata sit, subdelegari nequit, nisi ex expressa delegantis concessionem.

§ 4. Nulla potestas subdelegata iterum subdelegari valet, nisi id expresse a delegante concessum fuerit.

*Can. 105 (CIC 200)*

Potestas executiva ordinaria necnon potestas ad universitatem casuum delegata, late interpretanda est, alia vero quaelibet stricte; cui tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa sine quibus eadem potestas exerceri nequit.

*Can. 106 (CIC 204)*

§ 1. Nisi aliud iure statuatur, eo quod quis aliquam auctoritatem, etiam superiorem, competentem adeat, non suspenditur alius auctoritatis competentis gratiosa potestas, sive haec ordinaria sit sive delegata.

§ 2. Causae tamen ad superiorem auctoritatem delatae ne se immisceat inferior, nisi ex gravi urgentique causa; quo in casu statim superiorem de re moneat.

*Can. 107* (CIC 205, §§ 2 et 3; 101)

§ 1. Pluribus in solidum ad idem negotium agendum delegatis, qui prius negotium tractare inchoaverit alios ab eodem agendo excludit, nisi posthac impeditus fuerit aut in negotio peragendo ulterius procedere noluerit.

§ 2. Pluribus collegialiter ad negotium agendum delegatis, procedere debent secundum praescripta de actibus collegialibus statuta in can. (*De populo Dei*, can. 76), nisi in mandato aliud cautum sit.

§ 3. Potestas executiva pluribus delegata, praesumitur iisdem delegata in solidum si est gratiosa, collegialiter si est coercens.

*Can. 108* (CIC 206)

Pluribus successive delegatis, ille negotium expediat cuius mandatum antea concessum, nec postea revocatum fuerit.

*Can. 109* (CIC 207)

§ 1. Potestas delegata extinguitur expleto mandato; elapso tempore pro quo concessa fuerit; cessante causa finali delegationis; revocatione delegantis delegato directe intimata necnon renuntiatione delegati deleganti significata et ab eo acceptata; non autem resoluta iure delegantis, nisi in casibus can. 72, § 2.

§ 2. Actus tamen, ex potestate delegata quae exercetur pro solo foro interno, per inadvertentiam positus, elapso concessionis tempore, validus est.

*Can. 110* (CIC 208)

§ 1. Potestas ordinaria extinguitur amisso officio cui adnectitur.

§ 2. Nisi aliud iure caveatur, suspenditur potestas ordinaria, si intra tempus iure praescriptum contra decretum amotionis ab officio cui adnectitur instituitur recursus administrativus aut actio iudicialis ad tribunal administrativum.

*Can. 111* (CIC 209)

In errore communi de facto aut de iure, itemque in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, supplet Ecclesia, pro foro tam externo quam interno, potestatem regiminis gratiosam.

TITULUS VI  
DE ACTIBUS IURIDICIS

*Can. 112 (novus)*

§ 1. Actus iuridicus ut valeat, requiritur a persona habili aut competenti sit positus, atque in eodem adsint quae actum ipsum essentialiter constituunt, necnon sollemnia et requisita lege ad validitatem actus imposita.

§ 2. Actus externus rite positus praesumitur validus; quae tamen praesumptio invocari nequit ad probanda quae natura sua actum essentialiter constituunt nec in diiudicanda competentia, quae quidem positive est probanda.

*Can. 113 (CIC 103)*

§ 1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequaquam resistere potuit, pro infecto habetur.

§ 2. Actus positus ex alia vi et metu gravi, iniuste incusso, aut ex dolo, valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest, ad normam cann. (*De processibus*, cann. 122-123) per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtinentium sive ex officio.

*Can. 114 (CIC 104)*

Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versetur circa id quod eius substantiam constituit aut qui recidit in conditionem *sine qua non*, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore in ius locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.

*Can. 115 (novus)*

Invalidus censetur actus collegii si maior pars membrorum collegii ex vi et metu aut ex dolo, de quibus in can. 113, § 2, aut ex ignorantia

vel errore de quibus in can. 114, votum protulerint; si unum alterumve collegii membrum talibus ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum suum protulerint, validus est, sed locum dat actioni rescissoriae ad normam iuris iis quorum interest.

*Can. 116 (CIC 105)*

Cum iure statuatur ad certos actus ponendos Superiorem indigere consensu aut consilio aliquarum personarum:

1° si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris, consensum earum personarum non exquirentis aut contra earundem votum agentis;

2° si consilium requiratur, invalidus est actus Superioris easdem personas non audientis; Superior, licet nulla obligatione teneatur ad earum votum, etsi concurs, accedendi, tamen, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim diversarum personarum concorde, ne discedat;

3° si requiratur consensus aut consilium plurium personarum, omnes quarum consensus aut consilium iure exigatur, legitime convocentur ut mentem suam aperire possint; quod si non convocentur omnes, aut si iisdem non praebeatur occasio manifestandi suam sententiam, actus Superioris invalidus est, salvo praescripto can. 142, § 3;

4° omnes quorum consensus aut consilium requiritur obligatione tenentur sententiam suam sincere proferendi, atque si negotiorum gravitas, iudicio Superioris, id suadeat, secretum sedulo servandi.

*Can. 117 (novus)*

Quicumque illegitime actu iuridico, immo quovis alio actu libere posito, alteri damnum inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum.

TITULUS VII  
DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

*Can. 118 (CIC 145)*<sup>1</sup>

§ 1. Officium ecclesiasticum est quodlibet munus a competenti auctoritate stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum.

§ 2. Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria definiuntur sive ipso iure quo officium instituitur et ordinatur sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur simul et confertur.

*Can. 119 (CIC 14 et 15)*

§ 1. Qui officium erigit, curare debet ut praesto sint media ad eiusdem adimplementum necessaria utque prospiciatur honestae sustentationi vel retributioni eorum qui officio funguntur.

§ 2. Nisi aliud iure statuatur, Episcoporum Conferentiae regionis est normas statuere quibus praescripta § 1 ad effectum deducantur.

CAPUT I  
DE PROVISIONE OFFICII ECCLESIASTICI

*Can. 120 (CIC 147)*

Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit.

*Can. 121 (CIC 148)*

Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem ab auctoritate competenti factam, aut per institutionem ab eadem datam, si praecesserit praesentatio, aut per confirmationem vel admissionem ab eadem factam, si praecesserit electio vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.

<sup>1</sup> Cfr. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 20.



*Can. 122*

Auctoritati, cuius est officia erigere, innovare et suppressere, eorundem provisio quoque competit, nisi aliud iure statuatur.

*Can. 123 (CIC 149 et 153)*

§ 1. Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, debet esse idoneus, scilicet iis qualitatibus praeditus, quae iure universali vel particulari aut lege foundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis, irrita tantum est si qualitates iure universali vel particulari aut lege foundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur; secus valida est, sed invalidari potest per decretum auctoritatis competentis aut per sententiam tribunalis administrativi.

*Can. 124 (CIC 154)*

Officium secumferens curam animarum ad quam plene adimplendam ordinis sacerdotalis exercitium requiritur, ei qui sacerdotio nondum auctus est valide conferri nequit.

*Can. 125 (CIC 155)*

Officii provisio, nisi aliud iure statuatur, numquam differatur ultra sex menses utiles ab habita vacationis notitia.

*Can. 126 (CIC 156)*

Nisi adsit vera necessitas, nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem congrue adimpleri nequeunt.

*Can. 127 (CIC 150)*

§ 1. Provisio officii de iure non vacantis ad normam can. 161, § 1, est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit, firma § 2.

§ 2. Quod si agatur de officio quod de iure ad tempus determinatum confertur, provisio nonnisi a sex mensibus ante expletum hoc tempus fieri potest, et effectum habet expleto hoc tempore.

§ 3. Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum.

*Can. 128* (CIC 151)

Officium de iure vacans, quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

*Can. 129* (CIC 158)

Qui vicem alterius negligentis vel impediti supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in provisum, sed huius condicio iuridica perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset.

*Can. 130* (CIC 159)

Cuiuslibet officii provisio scripto, in actibus Curiae, consignetur.

#### Art. 1

#### DE LIBERA COLLATIONE

*Can. 131* (CIC 152)

Nisi aliud explicite iure statuatur, loci Ordinarii, exclusis tamen, nisi speciale habeatur mandatum, Vicario generali et Vicario episcopali, est libera collatione providere officiis ecclesiasticis in proprio territorio.

*Can. 132* (CIC 157)

Officium vacans per renuntiationem aut per decretum privationis, nequit ab Ordinario qui renuntiationem acceptat aut decretum tulit, valide conferri suis aut resignantis consanguineis vel affinibus usque ad quartum gradum inclusive.

Art. 2

DE PRAESENTATIONE

*Can. 133* (novus)

§ 1. Praesentatio ad officium ecclesiasticum ab eo cui ius praesentandi competit fieri debet auctoritati cuius est ad officium de quo agitur institutionem conferre, et quidem, nisi aliud legitime cautum sit, intra tres menses ab habita vacationis officii notitia.

§ 2. Si ius praesentationis cuidam collegio aut coetui personarum competat, praesentandus designetur servatis canonum 141-156 praescriptis.

*Can. 134* (novus)

Nemo invitus praesentetur; quare qui praesentandus proponitur, de mente sua rogatus, intra octiduum utile eandem manifestet.

*Can. 135* (novus; cfr. CIC, 1460, § 4 et 1461)

§ 1. Qui iure praesentationis gaudet, unum aut etiam plures et quidem tum una simul tum successive, praesentare potest.

§ 2. Nemo potest seipsum praesentare; potest autem collegium aut coetus personarum aliquem sui sodalem praesentare.

*Can. 136* (novus; cfr. CIC, 1465, § 1 et 1468)

§ 1. Nisi aliud iure statuatur, potest qui aliquem praesentaverit non idoneum repertum, altera tantum vice, intra mensem, quendam praesentare.

§ 2. Si praesentatus ante institutionem factam renuntiaverit aut de vita decesserit, potest qui iure praesentandi pollet, intra mensem ab habita renuntiationis aut mortis notitia, ius suum rursus exercere.

*Can. 137* (novus; cfr. CIC 1465)

Qui intra tempus utile, ad normam can. 133, § 1 et can. 136 praesentationem non fecerit, itemque qui bis praesentaverit non idoneum repertum, pro eo casu ius praesentationis amittit, atque auctoritati cuius est institutionem conferre competit officio vacanti libere providere, assentiente tamen provisi proprio Ordinario.

---

*Can. 138* (novus; cfr. CIC 1466)

§ 1. Auctoritas cui ad normam iuris competit praesentatum instituere obligatione tenetur instituendi legitime praesentatum qui idoneus repertus sit et acceptaverit; quod si plures legitime praesentati fuerint qui idonei reperti sint, eorundem unum instituere debet.

§ 2. Auctoritas ad institutionem conferendam competens, si institutionem deneget legitime praesentato qui idoneus repertus sit, pro eo casu amittit ius instituendi, quod quidem devolvitur ad auctoritatem immediate superiorem.

Art. 3

DE ELECTIONE

*Can. 139* (CIC 160)

Romani Pontificis electio unice regitur Const. Pauli VI *Romano Pontifici eligendo*, 1 octobris 1975.

*Can. 140* (CIC 160)

Nisi aliter aliud lege expresse provisum fuerit, in ceteris electionibus canonicis servantur praescripta canonum qui sequuntur.

*Can. 141* (CIC 161)

Salvis legitimis collegii aut coetus statutis, si cui collegio aut coetui personarum sit ius eligendi ad officium, electio non differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii; quo termino inutiliter elapso, auctoritas ecclesiastica, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.

*Can. 142* (CIC 162)

§ 1. Collegii aut coetus praeses modo statutis determinato, loco ac tempore electoribus convenienti, convocet omnes ad collegium aut coetum pertinentes; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat aut in loco domicilii aut quasi-domicilii aut in loco commorationis.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet; attamen ad eiusdem instantiam, probata quidem praeteritione et absentia, electio, etiam si confirmata fuerit, a competenti auctoritate irritari debet, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.

§ 3. Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla, nisi omnes neglecti reapse interfuerint.

*Can. 143 (CIC 163)*

§ 1. Convocatione legitime facta, firmo quidem can. 142, suffragium ferendi ius habent praesentes die et loco in eadem convocatione determinatis, exclusa, nisi aliud statutis legitime provideatur, facultate ferendi suffragia sive per epistolam, sive per procuratorem.

§ 2. Si quis ex electoribus praesens sit in domo in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur.

*Can. 144 (CIC 164)*

Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

*Can. 145 (CIC 165)*

Ut valida sit electio, nemo ad suffragium admitti potest, qui ad collegium vel coetum non pertinet.

*Can. 146 (CIC 166)*

Electio, cuius canonica libertas quoquo modo reapse impedita fuerit, ipso iure invalida est.

*Can. 147 (CIC 167)*

§ 1. Inhabiles sunt suffragium ferendi:

- 1° incapaces actus humani;
- 2° minores duodeviginti annorum;

3° qui communitati ecclesiali ab Apostolica Sede Romana seiunctae adscripti sunt, salvis statutis consociationum christifidelium de quibus in can. (*De populo Dei*, can. 46, § 3);

4° carentes voce activa sive vi praescripti iuris universalis aut particularis sive vi legitimae sententiae iudicialis.

§ 2. Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam condemnatoriam aut habita sententia declaratoria.

*Can. 148 (CIC 169)*

§ 1. Suffragium ut validum sit, requiritur:

1° liberum; ideoque invalidum est suffragium eius, qui metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut diversas personas disiunctive;

2° secretum, certum, absolutum, determinatum.

§ 2. Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adiectae censentur.

*Can. 149 (CIC 171)*

§ 1. Antequam incipiat electio, per secreta suffragia deputentur, nisi iam propriis statutis deputati sint, e gremio collegii aut coetus duo saltem scrutatores.

§ 2. Scrutatores curent ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato ordine statuto, ab unoquoque electore ferantur; collectisque omnibus schedulis, coram praeside electionis, secundum formam propriis constitutionibus statutisve aut legitimis consuetudinibus determinatam, inspiciant an schedularum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quot quisque retulerit.

§ 3. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.

§ 4. Schedulae statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, destruantur.

§ 5. Omnia electionis acta ab eo qui actuarii munere fungitur accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.

*Can. 150 (CIC 172)*

§ 1. Electio, nisi aliud iure aut statutis caveatur, fieri etiam potest per compromissum, dummodo nempe electores, unanimi et scripto consensu, in idoneos sive de gremio sive extraneos ius eligendi pro ea vice transferant, unum vel plures, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant.

§ 2. Si agatur de clericali collegio aut coetu, scilicet ex solis clericis constante, compromissarii in sacris debent esse constituti; secus electio est invalida.

§ 3. Compromissarii debent iuris praescripta de electione servare, atque, ad validitatem electionis, conditiones compromisso appositae, iuri non contrarias, observare; conditiones autem iuri contrariae pro non appositae habeantur.

*Can. 151 (CIC 173)*

Cessat compromissum et ius suffragium ferendi redit ad compromittentes:

- 1° revocatione a collegio aut coetu facta, re integra;
- 2° non impleta aliqua conditione compromisso apposita;
- 3° electione absoluta, si fuerit nulla.

*Can. 152 (CIC 174)*

Nisi aliud iure aut statutis caveatur, is electus habeatur et a collegii aut coetus praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. (*De populo Dei*, can. 76, n. 1°).

*Can. 153 (CIC 175)*

§ 1. Electio illico intimanda est electo, qui debet intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare collegii aut coetus praesidi utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet; secus electio effectum non habet.

§ 2. Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione amittit nec subsequenti acceptatione convalescit; rursus eligi potest; collegium aut coetus intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet.

*Can. 154 (CIC 176)*

§ 1. Electus, acceptata electione, quae confirmatione non egeat, officium pleno iure statim obtinet; secus, non acquirit nisi ius ad rem.

§ 2. Ante intimatam confirmationem, electo non licet sese immiscere in administratione officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt.

*Can. 155 (CIC 177)*

§ 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, intra octiduum utile a die intimatae electionis confirmationem ab auctoritate competenti petere per se vel per alium debet; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento detentum fuisse.

§ 2. Competens auctoritas, si electum repererit idoneum ad normam can. 123, § 1, et electio ad normam iuris fuerit peracta, confirmationem denegare nequit.

§ 3. Confirmatio in scriptis dari debet.

§ 4. Facta confirmatione, electus pleno iure officium obtinet, nisi aliud iure caveatur.

*Can. 156 (CIC 178)*

Si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium coetusve iure eligendi legitime privetur, libera officii provisio ad eam auctoritatem devolvitur, a qua confirmanda esset electio vel cui ius providendi successive competit.



Art. 4

DE POSTULATIONE

*Can. 157 (CIC 179)*

§ 1. Si electioni illius quem electores aptiorem putent ac praeferrant, impedimentum canonicum obstet, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competenti auctoritate postulare.

§ 2. Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum.

*Can. 158 (CIC 180)*

§ 1. Ut postulatio vim habeat, requiruntur saltem duae tertiae partes suffragiorum.

§ 2. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: *postulo*, aut aequivalens; formula: *eligo* vel *postulo*, aut aequipollens, valet pro electione, si impedimentum non existat, secus pro postulatione.

*Can. 159 (CIC 181)*

§ 1. Postulatio a praeside intra octiduum utile mitti debet ad auctoritatem competentem ad quam pertinet electionem confirmare, cuius est dispensationem de impedimento concedere, aut, si facultatem non habeat, eandem ab auctoritate superiore petere; si non requiritur confirmatio, postulatio mitti debet ad auctoritatem competentem ad dispensationem concedendam.

§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla est, et collegium vel coetus pro ea vice privatur iure eligendi aut postulandi, nisi probetur praesidem a mittenda postulatione iusto fuisse detentum impedimento aut dolo vel negligentia ab eadem tempore opportuno mittenda abstinuisse.

§ 3. Postulato nullum ius acquiritur ex postulatione; eam admitte[n]di auctoritas competens obligatione non tenetur.

§ 4. Factam auctoritati competenti postulationem electores revocare non possunt, nisi auctoritate consentiente.

*Can. 160* (CIC 182 et 175)

§ 1. Non admissa ab auctoritate competenti postulatione, ius eligendi ad collegium vel coetum redit.

§ 2. Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulato, qui respondere debet ad normam can. 153, § 1.

§ 3. Qui admissam postulationem acceptet, pleno iure statim officium obtinet.

## CAPUT II

### DE AMISSIONE OFFICII ECCLESIASTICI

*Can. 161* (CIC 183)

§ 1. Amittitur officium ecclesiasticum lapsu temporis praefiniti, expletionem aetatis qua quis ad normam iuris fit emeritus, renuntiatione, translatione, amotione necnon privatione.

§ 2. Resoluto quovis modo iure auctoritatis a qua fuerit collatum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi aliud iure caveatur.

§ 3. Officii amissio, quae effectum sortita fuerit, quamprimum omnibus nota fiat quibus aliquod ius in officii provisionem competit.

#### 1. DE EMERITATU

*Can. 162* (novus)

Qui expleverit aetatem, qua adeptam ad normam iuris emeritus fit, officium retinet usquedum amissio officii ipsi a competenti auctoritate scripto intimetur.

#### 2. DE RENUNTIATIONE

*Can. 163* (CIC 184)

Quisquis sui compos potest officio ecclesiastico iusta de causa renuntiare.

---

*Can. 164* (CIC 185)

Renuntiatio ex metu gravi, iniuste incusso, dolo vel errore substantiali aut simoniace facta, ipso iure irrita est.

*Can. 165* (CIC 186-187-189-191)

§ 1. Renuntiatio ut valeat, sive acceptatione egeat sive non, ei auctoritati fieri debet cui provisio ad officium de quo agitur pertinet.

§ 2. Auctoritas renuntiationem iusta et proportionata causa non innixam ne acceptet.

§ 3. Renuntiatio quae acceptatione indiget, nisi intra tres menses acceptetur, omni vi caret; quae acceptatione non indiget effectum sortitur intimatione ad normam iuris facta.

§ 4. Renuntiatio quamdiu effectum sortita non fuerit, a renuntiante revocari valet; effectu secuto revocari nequit, sed qui renuntiaverit, officium alio ex titulo consequi potest.

### 3. DE TRANSLATIONE

*Can. 166* (CIC 193)

§ 1. Translatio ab eo tantum fieri potest, qui ius habet providendi officio quod amittitur simul ac officio quod committitur.

§ 2. Ad translationem, si fit de consensu eius qui officium detinet, sufficit quaelibet iusta causa; si fit eodem invito, eadem causa requiritur idemque modus procedendi servandus est qui pro amotione ab officio praescribuntur.

§ 3. Translatio ut effectum sortiatur scripto intimanda est.

*Can. 167* (CIC 194)

§ 1. Translationis ratione prius officium vacat per possessionem alterius officii canonice habitam, nisi aliud iure cautum aut a competenti auctoritate praescriptum fuerit.

§ 2. Remunerationem cum priore officio conexam translatus percipit, donec alterius possessionem canonice obtinuerit.

#### 4. DE AMOTIONE

##### *Can. 168 (novus)*

Ab officio quis amovetur sive decreto ab auctoritate competenti legitime edito, servatis quidem hoc casu iuribus ex contractu quaesitis, sive ipso iure ad normam can. 170.

##### *Can. 169 (novus)*

§ 1. Ab officio quod alicui confertur per se ad vitam, non potest quis amoveri nisi ob causas iure determinatas atque servato procedendi modo eodem iure definito.

§ 2. Eadem norma § 1 valet ut ab officio quod alicui ad tempus determinatum confertur, quis ante hoc tempus elapsum amoveri possit.

§ 3. Ab officio quod, secundum iuris praescripta, alicui confertur ad prudentem discretionem auctoritatis competens, potest quis iusta ex causa, de iudicio eiusdem auctoritatis, amoveri.

§ 4. Decretum amotionis ut effectum sortiatur scripto intimandum est.

##### *Can. 170 (novus)*

§ 1. Ipso iure a quolibet officio ecclesiastico amovetur:

1° qui a fide catholica aut a communione Ecclesiae publice defecerit;

2° qui matrimonium civile tantum, contra iuris canonici praescripta, contraxerit;

3° qui professionem religiosam emisit, nisi de consensu auctoritatis competens atque Moderatoris religiosi, officium retinere possit;

4° qui intra tempus utile, ipso iure aut ab auctoritate competens statutum, officium sibi collatum adire neglexerit;

5° qui officium publice deseruerit;

6° qui obligationem residentiae, qua tenetur, violaverit et receptae auctoritatis competens monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum ab auctoritate praefinitum tempus, non paruerit aut eidem non responderit.

§ 2. Ipso iure ab officio clericali amovetur:

1° qui statum clericalem amiserit;

2° qui militiae saeculari nomen sponte dederit, contra can. (*De populo Dei*, can. 149, § 1).

§ 3. Amotio de qua in §§ 1 et 2 urgeri tantum valet si de eadem auctoritatis competentis declaratione constet.

*Can. 171 (novus)*

Si quis, non quidem ipso iure, sed per decretum auctoritatis competentis ab officio amoveatur quo eiusdem subsistentiae providetur, eadem auctoritas obligatione tenetur curandi ut ipsius subsistentiae congruo tempore prospiciatur, nisi aliter eidem provisum sit.

## 5. DE PRIVATIONE

*Can. 172 (novus)*

§ 1. Privatio ab officio, in poenam scilicet delicti, ad normam iuris tantummodo fieri potest.

§ 2. Privatio effectum sortitur secundum praescripta canonum de iure poenali.

TITULUS VIII  
DE PRAESCRIPTIONE

*Can. 173* (CIC 1508)

Praescriptionem, tanquam iuris subiectivi acquirendi vel amittendi necnon ab obligationibus sese liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia recipit, salvo exceptionibus quae in canonibus huius Codicis statuuntur.

*Can. 174* (CIC 1512)

Nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur, non solum initio, sed toto decursu temporis ad praescriptionem requisiti.

*Can. 175* (CIC 1509)

Praescriptioni obnoxia non sunt:

1° iura et obligationes quae sunt legis divinae naturalis aut positivae;

2° iura quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico;

3° iura et obligationes quae spiritualem christifidelium vitam directe respiciunt;

4° fines certi et indubii circumscriptionum ecclesiarum;

5° stipes et onera Missarum;

6° provisio officii ecclesiastici quod ad normam iuris exercitium ordinis sacri requirit;

7° ius visitationis et obligatio obedientiae, ita ut christifideles a nulla auctoritate ecclesiastica visitari possint et nulli auctoritati iam subsint.

TITULUS IX  
DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

*Can. 176 (CIC 31)*

Nisi aliud expresse in iure caveatur, tempus supputetur ad normam canonum qui sequuntur.

*Can. 177 (CIC 35)*

§ 1. Tempus continuum intelligitur quod nullam patiatur interruptionem.

§ 2. Tempus utile intelligitur quod ita ius suum exercenti aut persequenti competit ut ignorantī aut agere non valenti non currat.

*Can. 178 (CIC 32)*

§ 1. In iure, dies intelligitur spatium constans 24 horis continuo supputandis, et incipit a media nocte, nisi aliud expresse caveatur; hebdomada spatium 7 dierum; mensis spatium 30, annus spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario.

§ 2. Prout sunt in calendario semper sumendi sunt mensis et annus, si tempus est continuum.

*Can. 179 (CIC 34)*

§ 1. Dies a quo non computatur in termino, nisi huius initium coincidat cum initio diei aut aliud expresse in iure caveatur.

§ 2. Nisi contrarium statuatur, dies ad quem computatur in termino, qui, si terminus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus, finitur expleto ultimo die eiusdem numeri aut, si mensis die eiusdem numeri careat, expleto ultimo die mensis.

TITULUS X  
DE PRAECEDENTIA

*Can. 180*

Circa praecedentiam inter varias personas seu físicas seu iuridicas, servantur normae quae sequuntur, salvis normis specialibus quae suis in locis traduntur:

1° qui alius personam gerit, ex eadem obtinet praecedentiam; sed qui in Conciliis aliisque similibus conventibus procuratorio nomine intersunt, sedent post illos eiusdem gradus qui intersunt nomine proprio;

2° cui est auctoritas in personas sive físicas sive iuridicas, eadem ius est praecedentiae supra illas;

3° inter diversas personas ecclesiasticas quarum nulla habeat in alias auctoritatem: qui ad gradum potiore pertinet, praecedunt eis qui sunt inferioris gradus; inter eiusdem gradus personas sed non eiusdem ordinis, qui altiore ordinem tenet, praecedit iis qui in inferiore sunt positi; si denique ad eundem gradum pertineant eundemque ordinem habeant, praecedit qui prius est promotus ad gradum; si eodem tempore promoti sint, senior ordinatione; et si eodem tempore ordinem receperint, senior aetate;

4° in praecedentia diversitas ritus non attenditur;

5° inter varias personas morales eiusdem speciei et gradus, illa praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae et, si de hoc non constet, quae prius in loco, ubi quaestio oritur, instituta est; inter sodales vero alicuius collegii, ius praecedentiae determinetur ex propriis legitimis constitutionibus; secus ex legitima consuetudine; qua deficiente, ex praescripto iuris communis;

6° loci Ordinarii est in sua dioecesi statuere praecedentias inter suos subditos, ratione habita principiorum iuris communis, legitimarum dioecesis consuetudinum et munerum ipsis commissorum; et omnes de



praecedentia controversias, quatenus ii collegialiter cum aliis procedant, componere in casibus urgentioribus, remota omni appellatione in suspensivo, sed sine praeiudicio iuris uniuscuiusque;

7° circa personas quae ad Domum pontificalem pertinent, praecedentia moderanda est secundum regulas et traditiones eiusdem pontificiae Domus.

## INDEX

<i>Index generalis provisorius novi Codicis Iuris Canonici</i> . . . . .	3
<i>Praenotanda</i> . . . . .	5
<i>Canones praeliminares</i> . . . . .	11
Titulus I - DE FONTIBUS IURIS . . . . .	13
Caput I - De legibus ecclesiasticis . . . . .	13
Caput II - De consuetudine . . . . .	16
Titulus II - DE DECRETIS ATQUE PRAECEPTIS GENERALIBUS ET DE INSTRUC- TIONIBUS . . . . .	18
Titulus III - DE ACTIBUS ADMINISTRATIVIS SINGULARIBUS . . . . .	20
Caput I - Normae communes . . . . .	20
Caput II - De decretis et praeceptis singularibus . . . . .	22
Caput III - De rescriptis . . . . .	23
Caput IV - De privilegiis . . . . .	27
Caput V - De dispensationibus . . . . .	29
Titulus IV - DE STATUTIS ET ORDINIBUS . . . . .	32
Titulus V - DE POTESTATIS REGIMINIS EXERCITIO . . . . .	33
Titulus VI - DE ACTIBUS IURIDICIS . . . . .	37
Titulus VII - DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS . . . . .	39
Caput I - De provisione officii ecclesiastici . . . . .	39
Art. 1 - De libera collatione . . . . .	41
Art. 2 - De praesentatione . . . . .	42
Art. 3 - De electione . . . . .	43
Art. 4 - De postulatione . . . . .	48
Caput II - De amissione officii ecclesiastici . . . . .	49
1) De emeritatu . . . . .	49

2) De renuntiatione . . . . .	49
3) De translatione . . . . .	50
4) De amotione . . . . .	51
5) De privatione . . . . .	52
Titulus VIII - DE PRAESCRPTIONE . . . . .	53
Titulus IX - DE TEMPORIS SUPPUTATIONE . . . . .	54
Titulus X - DE PRAECEDENTIA . . . . .	55